UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

XXV. De officio Magistri Caeremoniarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

Visual Library

# TITVLVS XXV.

## De officio Magiſtri Cæremoniarum.

1. INter omnes ordinis Eccleſiaſtici miniſtros, quorum diuerſitas decorem maximum Eccleſiæ militanti ſemper attulit, & affert, ad Sanctum Dei cultum augendum, Cleri in Diuinorum officiorum ſtudium iuuandum, nec non populi deuotionem excitandam; Magiſtri Cæremoniarum multùm prodeſt peritia. Parùm enim eſt leges condere, niſi aliquis conſtituatur qui ſua induſtria eas exactè ſtudeat obſeruare.

*Cærem. Epiſ. lib. 1. cap. 6.*

2. Quapropter quilibet Eccleſiæ Rector, ſeu Superior, ſiue Decanus, aut Præpoſitus, quocumque nomine vocetur quantùm in ſe eſt, curet diligenter, vt ad huiuſmodi officij munus is eligatur, qui ex gremio eiuſdem Collegij, ſi commodè fieri poſſit, in Sacerdotali dignitate conſtitutus, cæteros vitæ, ac morum grauitate excellens, honeſtè ac decorè reſplendeat, quiuè in miniſterio Eccleſiaſtico, ſacriſque actionibus ac ritibus eruditus, ſummo ſtudio Eccleſiaſticæ diſciplinæ amantiſſimus, in omni actione, inſigni quadam ratione, eius obſeruantiam demonſtret.

*Cærem. Epiſ. loco citato.*

3. Similiter habitudine corporis ſit conſpicuus, omni deformitate carens, & ab omnibus occupationibus externis expeditus, vt vni ſolo diuino cultui dirigendo religiosè, ritè, decorè, ac pro rei dignitate vacare valeat, atque adeò grauiter & modeſtè in omnibus ſe gerat, vt omnibus deuotionem pariat, ipſeque ab omnibus commendari mereatur.

4. Is igitur qui huic muneri præficitur, ſciat

omnia

omnia Eccleſiaſtica munera ad ipſum ſpectare, vnde & ipſius partes erunt omnia proſpicere, cuncta prævidere, maximè in ſolemnioribus, vt loco, ac tempore diſponantur vniuerſa: Altaria videlicet decenter ſint ornata. Eccleſia vndique nitida, & bene aptata, ſacra ſupplex ac reliqua neceſſaria commodè diſtributa inueniantur.

5. Feſtis diebus præcipuè officio ſuo fungatur in Miſsis & Veſperis ſolemnibus, & idcirco curet vt hora congrua Celebrans & Miniſtri ſint parati in Sacriſtia, & ad hoc eos adiuuet, vel ſaltem ipſum Celebrantem.

6. Ad Miſſam ſolemnem Celebrandam dicta in Choro Hora conuenienti, omnibus paratis, indutisque Celebrante & miniſtris alijs, curet vt ipſe Celebrans in Sacriſtia ponat thus in thuribulo. Tùm facta Cruci reuerentia datoque ſigno egreſsionis vt via paretur ab ijs ad quos ſpectat ille manibus iunctis, & ſolus ſequatur Ceroferarios, nudo capite, procedendo ad Altare, & in loco deſignato monet Celebrantem, & alios quando Chorum ſalutare debeant, ſi ante illum tranſeunt, vel genuflectere oporteat, ſi opus ſit.

*Cærem. Epiſ. lib. 2 cap. 3. Gauantus Comment. in Rubr. Miſſ. part. 2 tit. 2. n. 5. ſub lit. a.*

7. Diebus Dominicis, cùm facienda eſt aſperſio aquæ benedictæ, præcedens Celebrantem cum Miniſtris eos ducet in Chorum, & loca in quibus facienda aſperſio.

8. Cùm Celebrans peruenerit ad Altare ante Miſſam, facta genuflexione, accipit ipſius & miniſtrorum bireta & ea loco congruo deponit non tamen ſuper Credentiam.

9. Ad Confeſsionem genuflectit in plano regulariter à parte Epiſtolæ, eaque facta aſcendit cum Miniſtris ad ſuppedaneum Altaris; ibique facta genuflexione à dextris Diaconi capit nauiculam de manu Thuriferarij, eamque tradit

Diacono ſine oſculo. Tum accipit ab eod Thuriferario thuribulum, illudque ſuſtinet ap tum coram Celebrante imponente thus in deinde ſiniſtra recipit nauiculam, quam redd Thuriferario, & dextra tradit thuribulum Di cono, dimiſſo priùs operculo ipſius.

10. Decentiùs tamen eſt vt Thuriferari ipſe porrigat nauiculam Diacono, & ſuſtine thuribulum coram Celebrante, & non Cæremo niarius, eſt enim ſui muneris ea peragere no Cæremoniarij; cuius officium eſt tantùm diri gere, & docere, niſi fortè miniſtri non ſint ſat adhuc experti, & tunc poterit ea præſtare; ali Thuriferarius ſemper miniſtrabit nauiculam ſeu Diacono ſeu alteri, & thuribulum ſuſtine bit.

11. Dum Celebrans incipit incenſationem a mouet Miſſale & cuſſinum de Altari, niſi adſ Presbyter aſſiſtens qui id agat, eaque ambabu manibus ante pectus extra gradus Altaris prop cornu Epiſtolæ verſa facie ad altare ſuſtinet, & ſtatim facta incenſatione partis Epiſtolæ ibidem ea reponit, tum genuflexione facta deſcendit ite rum in planum.

12. Incenſato Altari ſtat poſt Diaconum ſiniſtris Thuriferarij, inclinans ſe cum eodem Diacono ante & poſt incenſationem Celebran tis, quòd ſemper in huiuſmodi incenſatione ob ſeruabit.

13. Dum dicitur Introitus ſtat prope ang lum poſteriorem altaris verſus ipſum Celebra tem & inclinat ſe Cruci dum dicitur *Gloria Pa* dictoque à Celebrante vltimo *Kyrie eleyſon* in nuit Choro vt ſedeat ſi ſuperſit ſatis tempo ris.

14. Cùm cantatur vltimum *Kyrie eleyſon* i Choro monet Celebrantem & Miniſtros, vt

medium

medium Altaris procedant, & dicto ab ipſo, & à Miniſtris hymno angelico monet nutu eoſdem vt ſedeant. At dum prædictus hymnus cantatur in Choro ipſe ſtat etiam in cornu Epiſtolæ prope Credentiam, ita vt etiam à Choro videri poſſit, & inde capitis inclinatione tempeſtiuè monet Celebrantem ſedentem & Chorum quando inclinare ſe, aut nudare caput debeant, neque ipſe ſedere debet.

15. Circa finem Hymni Angelici, videlicet dum cantatur *Cum Sancto Spiritu* reducit Celebrantem ad Altare per gradus anteriores præcedendo Miniſtros. Tum redit facta genuflexione ad cornu Epiſtolæ vbi oſtendit Celebranti Orationem, & circa finem ipſius, ſeu vltimæ, ſi plures dicantur, accipit librum de Credentia, eumque tenens per latera ipſius, ea parte qua aperitur ad dexteram ſuam conuerſa, tradit ibidem Subdiacono ſtanti poſt Diaconum in cornu Epiſtolæ, eumque ducit à ſiniſtris ad medium Altaris vbi genuflectit, quantùm poſſibile eſt ad hæc verba in fine Orationis *Ieſum Chriſtum*, vel ad alia, *in vnitate Spiritus* ſi terminetur per *Qui viuit* aut *Per eundem*, & inde eum ſtatim conducit ad locum vbi cantare debet Epiſtolam, vbi ſtans à ſiniſtris eius vertit folia libri, ſi opus ſit; Finita autem Epiſtola eundem reducit ad medium Altaris, & inde genuflexione facta reducit ad Celebrantem, vt ab eo benedicatur genuflexus cum illo, deinde recipit ab eo librum quem deponit ſuper Credentiam.

16. Dum Celebrans incipit Euangelium, tradit librum Euangeliorum Diacono, eo modo quo antea Subdiacono, quem ipſe ſolus Diaconus portat ad Altare, & circa finem Gradualis *Alleluia*, aut Tractus aut etiã citiùs aſcendit cum Thuriferario ad Altare, vbi imponitur thus in thuribulo.

Poſteà

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Poſteà deſcendit cum eodem Thuriferario, facta genuflexione altari & vadit ad Credentiam indeq́ue dum Diaconus accipit librum Euangeliorum, ducit Thuriferarium & Ceroferarios ad medium Altaris in plano, vbi à ſiniſtris Subdiaconi genuflectit ſuper infimum gradum, & erectus præcedit omnes ad locum Euangelij.

17. Cùm peruenerit ad prædictum locum, ſtat à dextris Thuriferarij, & miniſtrat, dum tempus eſt, Diacono thuribulum, monetq́ue ibi Diaconum quando inclinandum ſit aut genuflectendum, & ſe ſignat cum eo in fronte, ore, & pectore.

18. Finito Euangelio recedit, præcedit omnes ad medium Altaris, vbi aſsiſtit Diacono, dum Celebrantem incenſat, eiq́ue thuribulum porrigit, ſi neceſsè ſit.

19. Si ſermo habendus, ſtatim poſt incenſationem Celebrantis, ducit Concionatorem ad ſuggeſtum & finito ſermone, eum reducit ad Sacriſtiam, aut alium locum deſtinatum.

20. Dum Celebrans dicit *Credo* ſtat in cornu Epiſtolæ, & genuflectit cum eo, & finito monet vt ſedeat ſi velit vt ad *Gloria in excelſis.*

21. Paulò ante verſum, *Et incarnatus eſt*, monet Celebrantem vt genuflectat, ſi ſit ad Altare, vel ſe inclinet ſi ſedeat, in die autem Natiuitatis Domini & Annuntiationis B. Mariæ Celebrans genuflectere debet, ſed ipſe Cæremoniarius ſemper genuflectit. Atque verſu *Et incarnatus eſt* decantato, tradit Diacono Burſam Corporalium ambabus manibus, verſa ad eum facie, ita vt pars aperta Burſæ ipſum Diaconum reſpiciat.

22. Circa finem Symboli reducit Celebrantem ad Altare per viam longiorem, tum facta genuflexione, redit ad Credentiam, & inchoato

Offertorio

Offertorio velum oblongum ſuper humeros, Subdiaconi aptat, eumque à ſiniſtris Calicem deferentem ducit ad Altare.

23. Dum Celebrans thurificat oblata aſſiſtit, vt in prima thurificatione ante Introitum.

24. Poſtquam Celebrans lauerit manus Cæremoniarius vadit ad ſiniſtram Celebrantis cum genuflexione, eique aſſiſtit & folia Miſſalis vertit, dum Celebrans dicit ſecretas Orationes & cantat Præfationem. Si tamen adſit Presbyter aſſiſtens tunc Cæremoniarius ducit Diaconum in Chorum, vbique facta inclinatione monet Diaconum quos incenſare debeat, cum quibus reuerentijs, & quot ductibus.

25. Circa finem *Præfationis* ducit Ceroferarios in Sacriſtiam vel ad alium locum vbi ſunt intortitia, & inde eoſdem intortitia ferentes, & Thuriferarium cum thuribulo ad Altare ducit, quibus loca ſua aſſignat.

26. Deinde accedit ad cornu Epiſtolæ ponens ipſemet ſi opus ſit, thus in thuribulo, & dum eleuatur SS. Sacramentum illud ter incenſat.

27. Facta eleuatione SS. Sacramenti ſurgit accedens ad medium Altaris genuflectit, atque Thuriferarium cum Ceroferarijs, ſi diſceſſuri ſint, reducit in Sacriſtiam, vel alium locum, indeque ſtatim redit ad Altare cum illis.

28. Poſteà Subdiaconum pacem in Chorum deferentem comitatur, & conducit Subdiaconum ad quos dandum eſt pacis oſculum inclinans ſe illis, tantùm poſtquàm datum fuerit pacis oſculum.

29. Tum reuerſus ad Altare, facta ibidem prius genuflexione accipit pacem ab eodem Subdiacono per oſculum quam ſtatim porrigit Acolythis etiam per oſculum, alijs verò ſcilicet Laicis cum inſtrumento, ſecundum morem locorũ,

& ideò tunc cùm Celebrans dat pacem Diacono, accipit inſtrumentum pacis, ſi illud dandum eſt Laicis, illudque Diacono tribuit oſculandum, & ipſe Cæremoniarius illud ſecum deferit manu dextrâ cum Subdiacono incedendo, & ipſe Subdiaconus Laicis dabit illud oſculandum quos Diaconus incenſauit.

30. Poſt ſumptionem Sanguinis ducit Acolythum cum ampullis ad Altare, & reducit eum poſt datam ablutionem digitorum Celebranti.

31. Finitis Orationibus cum ſua vltima concluſione, ad quas ſtat prope Celebrantem à dextris eius, ſtatim claudit Miſſale, niſi ſit legendum aliud peculiare Euangelium.

32. Ad benedictionem genuflectit cum alijs in cornu Epiſtolæ ſe ſignans.

33. In fine Miſſæ dat biretum Celebrantis Diacono, tum etiam eidem Diacono & Subdiacono ſua, factisque debitis reuerentijs altari, reducit Celebrantem & miniſtros in Sacriſtiam; At cùm in Sacriſtiam peruenerunt facta reuerentia imagini inclinat ſe Celebranti, & eum adiuuat deponentem paramenta ſua.

## *ANNOTATIONES.*

§. 1. Imprimis Cæremoniarius curare debet vt non tantùm praxim habeat omnium Cæremoniarum, ſed etiam cùm opus fuerit de ijs quæ fiunt rationem reddere poſſit. Ideoque non ei ſufficit Rubricas Miſſalis, & Breuiarij, Rituale Romanum, Pontificale Cæremoniale Epiſcoporum optimè ſcire; ſed inſuper attentè legiſſe debet Theſaurum Sacrorum Rituum Bartholomæi Gauanti aliosque de hac materia tractantes.

*Cærem. Epiſ. lib. 1. c. 5.*

§. 2. Qui huic officio præficitur apud ſe perpendat omnia & ſingula Eccleſiaſtica munera ad ſeipſum pertinere. Quapropter omnibus iſtis diligenter prouidere debet, & non ipſa die, vel cùm tempus vrget actionem, ſed maturè, aut pridiè, aut citiùs ſi opus ſit

Item

Item cuncta à ſe peragenda in aliquo loco priuato ſæpiùs experiatur & exerceat etiam ſimulatis geſtibus,quæ qualiteruè ipſe facturus & docturus eſt , vt eius eruditio ſingulis proſit.

§.3. Diligenter aduertat vt omnes cum reuerentia debita officijs diuinis interſint, nulla ſint colloquia,diſcurſiones tumultus,omniaque profana prorſus tollantur , & ſi opus ſit adhibeat ſibi miniſtros, qui his inuigilent, mendicantes ex Eccleſia pellant, & præcipuè canes & alia huiuſmodi diuina officia perturbantia. *Cærem Epiſ. loco citato.*

§. 4. Caueat quoque ne in Choro diuinis officijs, quis incompoſite, & minùs modeſte aſſiſtat ne inde ſcandala oriantur. Item ne quis geſtum aliquem ab alijs differentem demonſtret, v.g vt cum alij ſtant alius ſedeat. Sed det operam vt omnes vniformiter quantùm rei ratio poſtulat, ſe gerant. *Cærem Epiſ. lib. 1. cap. 5.*

§ 5. Sit patiens,manſuetus,ac humilis,nec illi graue ſit iuuare miniſtros,ſi opus ſit,& cum aliquem monere oportet,id faciat modeſtè, ſubmiſsâ voce, ac ſolo nutu,etiam leuiſſimo,ſi fieri poſſit.

§.6 Ordines ſeſſionum in Choro, vel extra diſtinguat, ſingulisque locum & ordinem aſſignet ſecundùm laudabilem locorum conſuetudinem. Præcipue autem curam gerat Celebrantis & miniſtrorum eius vt eis præſto ſit, ſi quid petant vel de aliqua re ſint admonendi.

§.7. In motu ſuo,& omnibus ſuis actibus ita modeſtè ſe gerat,vt non præcipitanter agat, non diſcurrat velociter niſi neceſſitas ſumma vrgeat, nec caput voluat,aut manus agitet indecenter, nec in ſuis actibus affectationis vitio notetur

§ 8. Curet etiam vt cùm aliquis, quem comitatur, inclinare ſe,aut genuflectere debet,ipſe quoque,quaſi præcedendo ſe inclinet,aut genu flectat. Similiter cum omnes qui ſunt in Choro aut alibi inclinare ſe aut genuflectere debent,priùs aliquantulùm recedens è loco ſuo innuat illis quid agendum ſit. V. g. quando dicendum *Gloria Patri*,aut aliud ſimile,& ad Altare quando miniſtri genuflectere debent aut ſe inclinare , ipſe priùs eadem faciat aut innuat facienda

§. 9. Regulariter incedit aut ſtat à ſiniſtris illius quem comitatur,niſi aliquid obſtet, v. g. viæ anguſtia,aut populi concurſus, tunc enim præcedit, nunquam vero ſequitur, cùm autem ducit Prælatos aut

alios ad aliquos actus id modeſtè faciat, & reuerenter non eos vrgens, aut impellens], aut quaſi vehens.

§. 10. Si Celebranda ſint aliqua diuina officia ſolemniter, vt quando celebranda Oratio quadraginta horarum, & exponendum SS Sacramentum, aut proceſſiones publicæ habendæ, aut alia huiuſmodi quæ rarò obtingunt, re priùs communicatâ cum ſuperiore præuideat omnia, curetque ea ſeruari, iuxta formam traditam, & non tantùm miniſtros ſed etiam ſuperiorum ipſum, aut alium Celebrantem inſtruat; ſi opus ſit, etiam eis ſchedulas in ſcriptis præbeat, & ſæpius per repetitos ſimulatos geſtus in aliquo priuato loco doceat.

§. 11. Nouos Presbyteros, & alios recenter ordinatos accuratè inſtruat ideoque à Superioribus non permittendum, ne quis munera ſua exerceat, niſi priùs à Cæremoniario in Sacris Miſſæ ritibus, & cæremonijs perfectè fuerit edoctus.

§. 12. Non conducit Diaconum dum defert librum Euangeliorum, & Burſam Corporalium ad Altare, neque Subdiaconum dum reportat Calicem ad Credentiam, quia comes tantùm datur Miniſtris ad aliquid cantandum, aut quando exeunt ex presbyterio.

§. 13. In Proceſſionibus ad ipſum ſpectat, omnes ritè & ordine dirigere, omnemque dare operam, vt ſeruato ordine nullo modo interrumpatur vel perturbetur Proceſſio, ac propterea ſtudeat vt pari paſſu, graui inceſſu, debitaque diſtantia omnes ac ſinguli progrediantur, celeri quadam, ſed graui iteratione, ſi opus ſit, diſcurrendo vt omnia præcipuè eodem ritu cantentur, atque dicantur, prouideat.

§. 14. Sacerdotes ſi aliquid ex annotatis Rubricis prætermiſerint, ſeu ex incuria immutauerint, vt quandoque accidit, ab eodem modeſtè tamen ac benignè moneantur, & omninò omnium actus in Eccleſiaſticis functionibus diligentiſſimè obſeruet, ſi qui à tradita forma receſſerint, ab eo moneantur

§. 15. Si quis fortè ab eo præſcripta exequi neglexerit, is placidè ac benignè ab eodem moneatur, cum verò res poſtulauerit Superiori deferatur. Vt quod eius auctoritate commodè interdum introduci aut corrigi non poteſt, ſuperiorum auctoritate introducatur ac corrigatur.

§. 16. Eos, qui ſacris ordinibus initiantur, vel primitias ſuas celebraturi ſunt, diligenter inſtruat, mu-

neris namque & officij ſui erit, vt ſinguli Eccleſiæ Miniſtri ab eo Cæremoniarum vſum ac diſciplinam ritè percipiant in omnibus peragendis, ac propterea benignè ſingulos in Eccleſiaſtica diſciplina inſtruens omnibus ſuam præſtabit operam: neque cuiquam primitias ſuas celebrare liceat niſi Decano, Paſtori, aut Superiori, cui ſubeſt teſtimonio Cæremoniarij debitè probauerit, ſe in Sacris Miſſæ ritibus eſſe eruditum atque verſatum, & Cæremonias omnes ad vnguem intelligere.

§ 17. Errata, in ipſo actu (ſi quæ contingunt) vel modeſtè, ac leniter corrigat, vel ſilentio, maximè ſi fuerint leuia, tranſeat, ne fortè magis præco erroris quàm corrector appareat.

# TITVLVS XXVI.

## *De Sacriſtiæ Præfecto qui in Collegiatis alijſque Eccleſijs Theſaurarius dici ſolet.*

1. SAcriſtiæ munus, inter alia Eccleſiaſtica miniſteria nequaquam minimum eſt, ac propterea in eo eligendo loci ſuperior attentè conſideret, vt ijs; qui eligitur, ſit in ſacerdotali ordine conſtitutus, quique rerum ſacrarum & Eccleſiaſticarum vſum, & ſcientiam habeat, & recognoſcat, qua cura, & ſtudio Eccleſiaſtica ſuppellex cuſtodienda ſit, quoue ordine atque tempore ea vtendum ſit, adhibito Clericorum & inſeruientium miniſterio.

2. Præcipuum eius munus erit, vt Sacroſancta Euchariſtia in Tabernaculo clauibus fidis obſerato decenter cum luminibus accenſis conſeruetur, & ſingulis ſaltem quindenis, renouetur: ad infirmos debita cum reuerentia & honore deferatur, & ea quæ ad cultum eius ſpectant, nitidè & honeſtè conſeruentur. Curet etiam vt *Cærem. Epiſ. lib. 1. cap. 6.* *Cærem. Epiſ. lib. 1. cap. 6.*